

1485

*Maritima
negotiationis
brevis
explicatio.*

*Quatuor
Venetæ tri-
remes, quæ
ad Gallicam
mercaturam
exierant, in-
terceptæ.*

tem fecit in urbe vastitatem. Accessit ad hanc domesti-
cam cladem alia omnino quidem atrox, sub exitum æsta-
tis illius procul domo accepta. Sed de ea priusquam di-
cere pergam, non ab re visum est, memorare præsentem
Venetæ urbis in re maritima industriam & opulentiam.
Nullum sane est emporium interni maris, quod a Gadita-
no freto inter Africam & Europam in Syriam & Ægy-
ptum ad ortum excurrit; ad septentrionem vero & bo-
ream ad Bosporum & Meotidem paludem, nullus tam
ignoti littoris recessus, quem Venetæ triremes ex antiquo
civitatis instituto non negotiorum causa frequentent. Su-
pra fidem esset enarrare, quæ vis navium, non Italiæ so-
lum, sed Liburniæ quoque, Dalmatiæ, Macedoniæ, ac
totius Græciæ littora velut suburbana quædam loca assi-
due scrutentur. De iis igitur dicam, quæ statim anni tem-
poribus ad merces ex remotissimis locis petendas publice
instruuntur. Ex his quatuor longæ naves, ex Syria atque
ex Ægypto totidem, aromata, sericum, gemmas, unio-
nes in Italiam deferunt. Ex Lybia tres, aurum, gem-
mas, & mancipia. Duæ ex interna Gallici maris ora
preciosissimum vellus, & Hispanum sericum omnium
longe nobilissimum. Quatuor a Tanai & Meotide palude,
salsamenta, tapetas, & smaragdos: ac præter eum nume-
rum, quatuor ex Gallici oceani emporiis, lanas, aurum,
aulea, & Flandrensis panni vim omnino ingentem. Ad
hæc negocia de more exierant triremes quatuor: earum
imperium penes Bartholomæum Minium fuit. Sed cum
hæ Ibericum navigarent oceanum, Columbus junior, Co-
lumbi piratæ illustres, ut ajunt, nepos, cum septem na-
vibus ad pugnam instructis circa Sacrum promontorium,
hodie *Vincentii caput* appellant, sub noctem factus est Ve-
neto obvius. Ille vero, tametsi sub primum occursum
animum ad Venetas naves opprimendas adjecerat, absti-
nuit tamen pugna per noctem: cæterum futuro certamini
intentus, ita interim abeunti institit, ut piraticarum pro-
ræ Venetis hærent puppibus. Post ubi illuxit, continuo
vis a barbaro est illata. Tum vero injecto certamine, sus-
tinet